

extrinsecus opposito scilicet uel angulo b uel angulo c . Nam per decimam angulus $f a c$ cum angulo $c a b$ æquatur duobus rectis. Sed angulus $c b a$ cum angulo $c a b$ minores sunt duobus rectis. Linea enim $f b$ cadit super duas lineas $a c$ & $b c$ concurrentes in puncto c , ergo per conuersionem secundæ petitionis facit ad partem concursus duos angulos minores duobus rectis. Constat igitur duos angulos $f a c$ & $c a b$ simul esse maiores duobus angulis $c b a$ & $c a b$ simul sumptis. Dempto ergo ab inæqualibus eodem communi scilicet angulo $c a b$, remanebunt per communem scientiam residua inæqualia scilicet angulus extrinsecus $f a c$ maior angulo $c b a$ intrinsecus sibi opposito. Similimodo probabis angulum $f a c$ maiorem esse angulo $a c b$.

DECIMATERTIA PROPOSITIO.

In omni triangulo, maiori angulo maius latus opponitur.

Sit in triangulo $a b c$ angulus a maior angulo c . Dico latus $b c$ maius esse latere $a b$. Nam si $b a$ linea minori angulo subtēta æqualis est $b c$ lineæ, erit per quartā angulus a æqualis angulo c quod est contra hypothēsim. Quòd si dicatur $a b$ maior esse quàm $b c$, resecetur ad æqualitatem in puncto d , ita ut $b d$ sit æqualis $b c$. Et quia per quartam angulus $b c d$ æquaretur angulo $b d c$, angulus uero $b d c$ per præcedentem maior est angulus



B